

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Qua ratione excitandi sint auditores, de sacerdotibus & concionatoribus  
interdùm non benè sentientes. Cap. XXXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

& scientiam doce me. Atq; sacerdotes in primis ad auaritiam fugiendā adhortandis sunt, cūm verbis prophetarum, & præsertim illis Micheæ: Principes eius in muneribus iudicabāt, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant; propter hoc Sion quasi ager arbitur, & Hierusalem quasi aceruuus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum; tum etiam exemplis sanctorum hominū, in primis sacerdotum, vt Gregorij Pont. Max. sancti Martini episcopi, sancti Dominici, et quamplurimorum aliorum, quos sacrarum historiarum libri suppeditabunt.

Qua ratione excitandi sint auditores, de sacerdotibus & concionatoribus interdùm non benè sentientes.

### Cap. XXXI.

**A**d populum verò cūm necessariò de sacerdotio dicendum est, verba illa D. N. Iesu Christi, in medium sunt afferenda: Quæ dicunt, seruate, & facite; quæ faciunt, nolite facere: non contemnendos Dei ministros, sed eorum calamitatēm potius lugendam, qui se tanto munere indignos ostendunt, & iustissimam Dei iram in se concitant. excitandi verò sunt auditores verbi Dei, discipuli apostolorum, concionatorum, et sacerdotum, quos audiunt, vt, quæ audiunt, mandent memoriae, audiant cum fructu; non numerentur inter illos, de quibus scriptum est: Semper discentes, nunquām ad scientiam peruenientes. Ad discipulos, quos sanctissimi viri, Christi disciplina imbuti, B. Augustinus, Hieronymus, Frāscus, Dominicus, & Benedictus instituerūt, & sanctissimis suis regulis

regulis etiam mortui instituunt, sermonem habere non  
solent clerici. mutuo enim inter se religiosi viri, & in do-  
ctrina scholastica, & in omni literarum genere versati,  
se docent.

Qua ratione discipulae sanctorum patrum, hoc  
est, moniales, commouendae sint.

Cap. XXXII.

**A**d discipulas eorum, quos nominaui, sanctorum,  
hoc est, moniales, quidam iussu episcopi, sermonem  
habere consueuerunt: cum quibus ita agere debent, ut in-  
terdum ad metum, ad gaudiū, reliquasq; sanctas affectio-  
nes, ut utile iudicauerint, excitent. Dicant, monachas in  
monasteria se abdidisse, non solum ut relictis parentibus,  
propinquis, et omnibus rebus secularibus, Dei precepta ad  
salutem necessaria commodius obseruarent; sed etiam  
Euangelica consilia, quae sunt, paupertas voluntaria, ca-  
stitas perpetua, & obedientia integra, quae ipsa Deo vo-  
uerunt, exequerentur. Quarè oportere, ut quemadmo-  
dum sanctus scriptum reliquit Basilius, qui balneum in-  
trant, omnibus vestibus se spoliant; sic quae, colenda pie-  
tatis causa, monasteria ingrediuntur, statim omne pecu-  
niarū & ceterarum rerum seculariū desiderium, omnes  
carnales cupiditates exuat, & propria se volūtate abdi-  
cent. Ad illas accommodari possunt illa verba: Cūm votū  
vōueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia re-  
quiret illud Dominus Deus tuus: et, si moratus fueris, repu-  
tabitur tibi in peccatū, Et illa, Audi filia, & vide, & in-  
clina aurem tuā, et obliuiscere domū patris tui, quia con-  
cupiuit rex specie tuā. Et quae à B. Apostolo scripta sunt:

Despon-